

Disquisitio solennis medica sistens curiosam pulli gallinacei in foemina cachectica formati historiam ... / [Johann Jakob Stange].

Contributors

Stange, Johann Jakob, active 1700-1702.
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Literis Christiani Henckelii, [1702]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h7btr48f>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

SUMMI NUMINIS AUSPICIIS!
DISQVISITIO SOLENNIS MEDICA,
Sistens

CURIOSAM PUL-
LI GALLINACEI IN
FOEMINA CACHECTICA FOR-
MATI HISTORIAM,

Quam

*Ex consensu Amplissimi Ordinis Medici
in Fridericiana Regia,*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
SCEPTRI BORUSSO-BRENNICI HEREDE,

SUB PRÆSIDIO

FRIDERICI HOFFMANNI,

MEDICI REGII, MED. ET PHIL. NAT. P. P.

PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI ÆTATEM SUSPICIENDI,

PRO DOCTORIS DIGNITATE

impetranda,

D. XXVIII. April. MDCCII.

H. L. Q. S.

Eruditorum examini submittet,

JOHANNES JACOBUS STANGIUS,

Serveſta - Anhaltinus.

SERENISSIMO atque CELSISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DN. JOHANNI
AUGUSTO,
PRINCIPI ANHALTINORUM, DU-
CI SAXONIÆ, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ, COMITI
ASCANIÆ, DOMINO SERVESTÆ, BERNBURGI,
JEVERÆ ET KNIPHUSII, ETC.

PRINCIPI ac DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

Attendendarum Observationum
Amplissimum Objectum

Almum est ovum,

quod

Bonorum involucris;

Naturæ miraculis,

Secretorumque mysteriis

quotidie edit,

quod est

NOVUM,

Ut natura mater vix foveat

Ovo minus, ovo majus,

Ovo vilius, ovo pretiosius,

Ovo sterilius, ovo fertilius.

Exiguam molis quantitatem rimare, & minimum id mirabere,

Virtutis quantitatem expende, & maximum esse perpendes,

Minor corpusculi dimensio vilitatem, energia pretii pariet

dignitatem,

Figuræ resistantia sterilitatē, explicatio ejusdem arguet fertilitatem.

En mirum! Natura ovans operatur:

Ovi parvitas, ævi est perpetuitas,

Totiusque mundi vis latet & patet in ovis,

Quid quod hujus universi systema ovi simillimum sit schema

& emblema,

Cujus gutta saliens fœcundum terræ centrum,

Et in hoc diversi ambitus & humores, colore, calore virtuteque

differentes.

Scili-

Scilicet ovum ovo dissimillimum.

Si magnum congregatum illud digitis Dei segregetur, vel invitum
invitat spectatorem,
ut in illo ceu templo quodam stellarum choros, virtutes, distantias,
motus, cursus, influentias, aspectus & numeros spectet,
& corporum elementarium in illis contentorum contempletur
inhabitatores:

Convolutum hoc parvum si naturæ instrumentis ac organis
evolvatur,
proh! quam immensam individuorum, specierum ac generum
non exhibet nubem ac segetem!

Utrumque ob multitudinem generum, volatilium, reptilium,
natatiliū &c. multiplices sistit formas,
quarum illex facies

Philosopho rimandi ovorum varietatem,
Mathematico figurarum multiformitatem,
Apollini futurorum ominosam probabilitatem,
Scrutatori naturalium qualitatum motuum diversitatem,
Multis aliis multa alia offert occasionem.

Utrobique spectacula tam solita actionū regularitate procreantur,
Quam casuum anomalia monstrosa innovantur ac recreantur.
Quæ quidē incidentium paradoxa quemvis in sphaera sua torquent
Actorem, quas enim tragædias non dedit Helenæ ovum?

Sed nec in foro naturæ diligentem recusant speculatorem,
Sed eundem postulant, imo flagitant,

In quo natura parens tam insolita ludit & protrudit theamata

& phænomena, ut iis explicandis sagacissima implicentur
ingenia & vix explicentur.

Inter alia multa
Curiosus sit foetus
in corpore cachectico
& effæto effectus.

Sed cui naturalis hujus effectus observationem inscribam potius,
Quam qui in magnificentissimo mundi theatro Boni Principis

Idea est potitus?

TIBI DICO

Dux ac Princeps Serenissime
Johannes Auguste,

Dotibus naturæ, animi atque gratiarum Augustissime!

TU namque in politico orbis theatro veluti libro quodam libere
versatus & cum laude peregrinatus,

Observasti

In perspiciendis hominum animis perspicacitatem,
In tempestate bellica debitum temperamentum,
In sinistris temporibus obsecundandi dexteritatem,
In pace pacatam tranquillitatem,
In subitis non præcipitem deliberationem,
In urbibus urbanitatem,
In concussionibus inconcussum animi robur.
paucis multa!

Rerumpubl. sequendam analogiam

Earundemque persequendam irregularitatem ac anomaliam.

Hinc

Hinc omnibus amabilis amaris,
Lectissimus diligeris,
Bonisque aliis auctus auges & augebis
Subditos, cives atque colonos;

quia

JOHANNES AUGUSTUS.

Maacte ergo animo ac viribus in Consortio nuper inito
cum Consorte Lectissima,

**FRIDERICA DUCE ac PRINCIPE
SERENISSIMA,**

Contingat Tibi Felicitas Augusti
plusquam augusta.

SERENITATI TUÆ

Humillime subditus

Johannes Jacobus Stangius.



DISQVIGATIONIS SOLENNIS
MEDICÆ

CIRCA

CURIOSAM PULLI GALLI-
NACEI IN FOEMINA CACHECTICA
FORMATI HISTORIAM.

INTRODUCTIO.



Vo rerum naturam

non abludere, & omnia ex ovo seu
semine, & in ovo mirandos produ-
ci sistique foetus, nobiscum faciunt
omnes illi, qui sagacioribus mentis
oculis corporum naturalium effe-
ctus contemplari & speculari sibi

sumunt. In veterum jamdum Philosophorum monu-
mentis ovum Orphei & Platonicum legimus adumbra-
tum, quid quod Sinenses ovum primordiale ex eoq; pri-
mi non minus hominis, quam cœli, terræ, uno verbo, to-
tius orbis ortum adstruunt: Recentiores vero, nostri po-
tissimum ævi, Philosophi *ωολογίαν* curiosis scriptis dede-
runt explanatam. Ovum sane origo genituræ existit &

mo-

motus circularis principium ovum recte habetur, qui naturam perpetuaturus

redit actus in orbem.

Unde motus hic simplicissimis decurrit viis suisque circumscribitur legibus, ut secundum *oculatissimum rerum naturalium perscrutatorem Malphigium* naturæ operandi norma ut plurimum una & simplex sit. Cum enim in universo nil nisi mutuas materiæ & motus inter se *σχέσεις*, habitudines & affectiones deprehendere liceat, facile colligere est, eas paucissimis includi regulis, quas qui insuper habuerit, is citra manifestam & urgentem causam vel ad aniles fabulas vel ad supernaturales prætextus recurrere debet: contra vero si naturæ ductum simpliciter & sine præconceptis opinionibus secuti fuerimus, re ipsa experiemur, naturam equidem quoad tot ac tam varia primo obtutu phænomena amplissimū usq; discendi docendique campum existere, hæc ipsa tamen principiis physico mechanicis quam commode explicari & dilucidari posse. Laudibus suis hinc minime defraudandi sunt, qui observandis naturæ phænomenis intenti illam ipsam per suos effectus nitidam, claram & perspicuam reddere allaborant. Non adeo multum temporis effluxit, quocimmeriis ignotæ subtilitatis vel subtilis ignorantie tenebris involuti abstractionibus rerum nimium quantum indulgebant & enormibus autoritatum præjudiciis sopiti pristinos errabant errores. Sed, uti recte dicente *Romane Eloquentiæ Parente Cicerone de nat. D. II. 2.* opinionum commenta dies delet, naturæ judicia confirmat: ita & illæ ipsæ nova naturæ congrua philosophia resurgente veritatis lucem tandem effugerunt. Tanto magis autem insigne inde incrementum accessit arti medicæ, quæ mecha-

chanicis principiis ex materia & motu petitis fundata, corroborata & illustrata fuit. Quoniam enim, non aliter ac in macrocosmo ætheris motus circularis regnat, pariter in microcosmo hujusmodi motum & pericyclosin observamus, merito eo respexerunt saniores medici, juxta tritum illud: *Ubi desinit physicus, ibi incipit Medicus*; dum generali ista consideratione ad notitiam mechanismi humani sic tanto facilius pervenerunt, interim utique simul attendentes diversum materiæ concursum, utpote in & a quo variæ motus determinationes proferuntur. Ubi tamen omni modo notandum est, mechanismum nostrum non adeo crassum esse, nec unisonis seu uniformibus perfici motibus, quod præter alia cum victui vario, tum animi affectibustribuendum est, sed tam affabre constructum, ut mediante fluido quodam subtilissimo æthereo varias easque ex necessitate materiæ provenientes motiones exserat. Unde tota quanta in effectibus naturalibus diversitas occurrit, ex specifica interni principii ad certam & peculiarem materiam relatione & dispositione derivanda venit. Sed ut ab ovo, quod ajunt, rem nostram ordiamur, proponimus & sistimus in hujus rei specimen ceu speciem singularem casum Hannoveræ ad Excell. Dominum Præsidentem Promotorem studiorum nostrorum venerandum, cujus fidelissimam informationem & insignem favorem in omni vita sancte recalemus, transmissum novum scilicet Cachexiæ productum, quod in fœminæ corpore fotum, deinde vero ex iplo rejectum nuper ibi videre contigit. Placuit autem hoc ipsum præsentinostræ disquisitioni destinare, cum & novitate, & utilitate, quam inde in res naturales & medicas promanare certissimus, præ aliis se commendat, parum anxii, quid unus

vel alter iniquus rerum æstimator de hoc nostro instituto sinistre judicaverit, ubi naturæ nihil est inutile, nihil inane. Tantum vero abest, ut nova & nullius frugis affectemus, ut potius ex ipsa, si qua datur, novitate non vulgarem usum trahere cordi habeamus. Qui ut obtineatur, adspira quæso summe Deus huic nostro labori tua gratia & clementer concede, ut quævis studia mea nunc & in posterum felicem fortiantur successum, & quod unice piis precibus exoro & illorum finem reputo, his ipsis S. S. Tui Nominis gloria & proximi ægrotantis salus promoveatur!

HISTORIA.



Uadriennium & quod excurrit abhinc est, ex quo fabri ferrarii in aula Hannoverana uxor partum enixa mox insigni corripitur ægitudine, ita ut in manibus pedibusque prægrandia, dura tubera subnascerentur & inde manuum ac pedum usu prohiberetur. Quare adhibitis corrosivis isti tumores tandem in manibus fuerunt ad disruptionem perducti, ex quibus magna laticis quantitas profluxit; illorum autem maximum quod in pede erat, diu resistit aperturæ, donec post interruptum cathæreticorum & emplastorum sic dictorum attrahentium usum disparuere, & ægrotans cum morbo per 17. septimanas a se perpeffo in gratiam rediit. Posthac denuo Puerpera facta nonnisi ordinarias experta est molestias. Circa pentecostes autem circiter tempora proxime elapsi anni accidit, ut die quodam facta ambulatione lac recens assumeret, quo

quo derepente anxietates incurrit & in tam atrocia incidit ventris tormina, ut ad lectum properanti maximi ferendi essent dolores. Dramatis facies hæc erat, quod nec alimenta nec medicamenta retineret, sed continuis vomitionibus excerneretur & immanes vibrationes in abdomine perentisceret. Consulti Medici morbum pro colica, pro scirrho in abdomine & habentes eo curationis cardinem, utut in cassum, direxerunt, usque dum omnes de ejus cura desperarent. Sub hoc rerum statu circa S. Johannis evenit, ut quatuor eximiæ longitudinis lumbrici primum ex ore, deinde per alvum quoque ipsi secederent. Urina nihil insigne præ se ferebat. Sic conflictata ægra mire extenuata fuit, & in toto corpore, utrisque hypochondriis & abdomine morsificationes, tractiones & tensiones sensit, & quando malum ab uno loco in alterum migrabat misere exclamavit & penitus contracta fuit, quam violentam commotionem in abdomine manu explorare licebat. Materia, quam duobus cochlearibus jussu alicujus ægre assumptis evomuit, ex viridi flavescens referebat colorem, & seorsim ad subsidendum posita viscidum humorem & in fundo residuum quoddam quasi ex destillatis lumbricis terrestribus exhibebat. Quodam autem die paulo ante obitum suum accepto medicamento ingentem sanguinis grumum ex faucibus emisit, & sic penitus viribus exhausta de restitutione sua omnem spem abjecit. Vetula ipsi ministrans aliis nihil proficientibus cataplasma ex calido & recenti stercore equino imposuit, a cujus usu ad quatuor dies morbi inducias habuit, quibus exeuntibus mali vis acerbissima recruduit, & sæpius conquæsta est ægrota, quod dorsum, umbilicus & hypochondria morderi & pertundi sibi videren-

tur, ideoque maritum suum anxie rogavit, ut abdomen sibi aperiri curaret, qua ratione malum certissime innotesceret. Nudius tertius ante mortem aliquid per intestinum rectum eliminatum in lecto deprehendit, eumque in finem maritus & vetula a se advocati illud vermem esse dixerunt. Insequente postmodum die afflictissima placidum fecit vitæ finem. Modo memoratus vermis, sub finem delineatus, ex relatione mariti cute obscuri fusci coloris ad anguillæ accedente obductus erat, caput admodum simile est capiti equino, nisi quod in superiori parte cristam gerat, collum formam colli equini itidem repræsentat, os vero & apertura, quoniam rugosus erat, dignosci non potuit. Pedes ipsi sunt duo longi, superius crassis, carnosus femoribus eminentes; ipsi vero pedes in eo differunt, quod unus anserinum referat, alter autem in tres divisus sit uncus, quales in aviculo formatos cernimus, reliquum corpus oblongum est & in lacertæ figuram terminatur. Ipse vermis paucam fovet carnem, nec ulla ossea substantia exquiri in eo potest, extremitate præterea conspicuus acuminata.

Thes. I.

Solidum ut exstruant ædificium, basi recte ponenda, cui tota reliqua moles superstruitur, merito primum omnium solliciti esse solent architecti. Parili nos ratione, ut naturæ ordo & adductæ historiæ nexus fervetur, illud prælibare omnino e re judicamus, quod reliquis ejus circumstantiis fundamenti loco inservire debet. Qua de causa, cum mali radix in ipso ægrotæ nostræ corpore intrinsecum sui agnoscat fomitem, dispiciendum nobis erit, qui sit affectus, quo laboravit, quo hoc

osten-

ostenso nos tanto melius accingamus & præparemus ad ipsius phænomeni lustrationem. Venit iste in scholis medicis *Cachexiæ* nomine recepto & satis usitato, quod, ut origine Græcum, nihil aliud nisi malum habitum designat, quo non aliter ac in nuce Iliada, morbum compendiose innuere & ex solo quasi aspectu ejus diagnosin formare voluerunt. Hic vero occasione vocis καχεξία obiter discriminis ratio habeatur, quo distinguitur a κακοχυμία, quæ cum pravitatem succorum in genere denotet, minime ita lato sensu sumi debet, sed ad primarum viarum releganda est regionem, utut successu temporis totam humorum massam collutulare possit, quo tamen ipso hanc notionem amplius non servat. Illa, de qua nobis sermo est, majorem ut habet ambitum, ita majus quoque involvit periculum, quoniam labem jam dum sanguini & humoribus & inde toti habitui externo cute incluso, ipso colore livido teste, affricatam portendit.

Thes. II.

Proposita affectus denominatione, jam circa locum ipsum affectum scrutinium nostrum versabitur, quem priusquam tangamus, brevissimis aliqua circa sanguinis crasin & motum ut præmittamus, necesse est. Sanguinem ex diversis conflatum elementis eumque in se consideratum vel maxime corruptioni subiacere, quam ne subeat, motu opus esse & quidem tam intestino quam circulari ad vitam, uti in Introductione monuimus, perpetuandam necessario, ex physiologicis constat. Inter tot autem ac sæpius contrarias res externas & in tam vario ciborum usu, ad quem luxus hominum propensissimus est, omni modo naturæ conveniebat, ut parti-

um tam quantitate quam qualitate heterogenearum, quæ inde non possunt non emergere, affluxus jugi non modo circulo sed & maturo secretionum & excretionum, ad quas perficiendas tantus colatoriorum, vasorum & tenuissimorum canaliculorum hinc inde, præsertim in nobilioribus visceribus, conspicuorum apparatus requirebatur, concurrente simul partium solidarum tono, maturo, inquam negotio præscinderetur, proscriberetur. Hinc facile elucescit, in quonam bona temperatura seu crasis consistat, & a quo sanitas nostra dependeat. Nam quousque humores nostri vitales a sordibus ad intestinum destructorium putredinosum motum concipiendum dispositis bene & sufficienter depurantur, in debito fluore conservantur, tamdiu quoque illi ipsi a corruptione & dissolutione liberi integrum & sanum corpus servant. Vigente etiam motu circulari, æquabili, libero, vehementioribus animi commotionibus non interturbato, vigent quoque quævis in corpore humano operationes, quocunque insigniantur nomine, & sic homo summum, quod præter bonam conscientiam in his terris datur, possidet bonum, amabilem volo sanitatem.

Th. III.

Cum crasin & motum humorum secundum naturam paucis consideraverimus, proximum est, ut in utriusque p. n. affectiones inquiramus. Pnriodo humorum stante vitam consistere uti deductum fuit, ita illorum plenariâ quiete aut impeditiore tamen & lentiore progressu mortem vel morbosum statum adesse experientia convincimur. Jam vero omnis morbus ad duo summa revocari potest genera, vel quatenus materia copiosa, crassa, lenta, tenax redditur, & hac ratione

tran-

transitus & circuitus humorum segnior & remissior ob-
oritur, vel quatenus materia sulphurea, biliosa, tenuis
excedit, & tunc exæstuationes, phlogoses, inordinatæ fe-
briles motiones se pandunt. Illa chronicorum, hæc acu-
torum morborum fecundissima est mater, cum pro-
gressio materiæ conditioni respondeat. Hinc utut u-
trinque spasmus a natura ad hostile ejiciendum excitati
observentur, minus tamen activitatis in illis ob datam ra-
tionem exerunt, Quando itaque M. S. non satis subigi-
tur, subtilisatur, per frequentiores respirationes atte-
nuatur, nec nimia ejus quantitas seu moles evacuatur,
quid aliquid evenire potest, quam ut crasis ipsa lædatur,
sanguis spissus, crassus evadat, hic emunctoriorum &
evacuatoriorum, per quæ transire debebat, poros ob-
struat, bilis virtutem infringat, cruditates ingeneret &
sic oppilationes & infarctus viscerum inducat.

Th. IV.

Ut autem ad locum affectum proprius accedamus,
nullibi facilius obstructions visuntur quam in inferiori
corporis regione, hepatis imprimis & lienis visceribus,
in quibus propter miram valorum venosorum tortuo-
sitate, diramificationem & complexum, motu pro-
gressivo deficiente & abdomine per vitam sedentariam
compressio, longe promptius quam in aliis partibus san-
guis ad spissitudinem vergit. Quod insuper confirmat
sexus sequior mensuris evacuationibus jam assuefactus,
quando foeminae his male habentibus non solum pro-
pter mensium vitium sed & ipsam vasorum abdominis
conformationem inter alia pessima confectionaria cache-
xiæ obnoxia fiunt. Hinc humorum dicto modo in-
crassatio, impuratum acido-viscidarum coacervatio &
via-

viarum illis obfessarum successive facta relaxatio, aeris tenuioris externi in motu constituti sufficientem admissionem & calorem naturalem excludens, ad putredinem plus minus ex materiae indole concipiendam inclinatur.

Th. V.

Non unius autem generis, quæ crasin & motum humorum invertunt, nec unam, sed plures præsto debere esse causas cachecticum malum inferentes, certissima inter Practicos res est. Causa proxima & immediata quidem una, sed remotæ, ut loquuntur, variæ esse solent, quas ut breviter strictimque evolvamus, non incongruum censemus. Illa jam perfeclara venit sub sanguinis humorumq; debilitate spiritualescentiæque defectu; inter has vero primo loco nominamus & notamus plethoram, quæ quia mortales, uti dictum corrupto, suo genio nimium quantum indulgent, ex tanta ingluvie, præprimis si motus succorum moli respondens desideretur, non potest non pronasci. Inde fit, ut succi ultra necessitatem seu ullam utilitatem, quam corpori conferre possint, colligantur & vasa magis distendantur, qui si non tempestive vel spontaneo motu a natura suscitato vel medico consilio & auxilio imminuantur, tum vires motrices superant & crasin manifesto alterant, ut fluida satis antea consistentia paulatim in densam, viscidam, tenacem abeat. Hoc ex fonte promanat affectus polyposus, non ita ut vulgo creditur insolitus, a concretione fibrosarum sanguinis partium per nimiam ejus glutinositatem procuratus, quales compactiones serierum ex fibris *nunquam satis æstimandus D. Præses* duabus abhinc septimanis in sanguine e vena Generosæ hic loci foeminæ misso nobis quam plurimas monstravit & *sagacissimus M. Malpighius microscopio*

perlustratas in Dissert. sua de Polypocordis exhibuit. Tanto magis autem huic causæ assurgit mensium negotium, qui cum ordinaria quasi & solenniter recurrens plethora existat, majus quoque ad hujus affectus generationem conferunt symbolum, sive quod naturalem mensuram transcendant, quod fere rarius accidit, sive quod languidius succedant. Et hæc est ratio, quare fœminæ præ viris magis incidant in hunc morbum, quoniam cum propter laxiorem & porosiores habitum, tum propter sibi familiarem fluxum menstruum p. n. emanentem, longe citius purpurei roris stagnationes, & ex his varia subnascentia pathemata ac symptomata experiuntur. Idem præstat lochiorum interruptus vel inordinatus successus, hæc enim si substiterint nec graviores inflammatorios febriles insultus excitauerint, massam sanguineam consistentia vitiosa laborare satis indicant, ubi tum cachexiæ ejusmodi soboles, varii nempe tumores conspiciuntur, quales *Hagendornius Hist. suarum Cent. III. consignavit.* Deinde vero aeris humidus, frigidus status, ciborum crassorum, induratorum, & falsuginosorum quotidianus usus dispositionem internam corroborant & fovēt, dum illic insensibilis transpirationis energia remittit, excrementitiæ partes, quæ debebant foras ejici, intra spiracula & in toto corpore remanent, plures de novo accedunt, humores salibus peregrinæ indolis immerguntur & inviscantur; hic extractio laudabilis succi nutritii desideratur, bilis tenuitas & sulphur naturæ nostræ amicum retunditur, chylus nec satis diluitur nec satis attenuatur, uno verbo, ex viscidis cibis, cæteris conspirantibus, viscidus chylus, sanguis impurus & serum acre, falsuginosum conficitur.

Et ut tandem animi quantum valeant in motibus humorum alterandis, morbis exfufcitandis & præfentibus gravioribus reddendis, praxin clinicam exercentes frequenter admodum attendunt & optime norunt. Ut enim in genere *Hippocr. Autore aphor. 33. feft. II.* in ftatu p. n. valere ratione, recteque fe ad ea, quæ offeruntur, habere bonum eft, ita non minus in naturali graviores animi perturbationes œconomiam humanam vi unionis iftius infig-niter afficere folent. Inter illos autem terror, triftitia, mœror animi, eminente præcipue in fœminis teneriori & fenfibiliori fyftemate nervofo gaudentibus virtute, humorum motum refrænant, ut cortice corporis exteriori conftriçto, illi verfus interiora reprimantur, qui quo gravius & pertinacius infiftunt, tanto præfentius vigor aétionum perit, folennes evacuationes menftruales ceffant, motuque fic languefcente fucci vitales una vitium capiunt. Ultimo etiam ab ipsis morbis falinis, variolis, morbillis, fcabie aliisque morbis diuturnis perpeffis, quibus humorum fpirituafcentia, aétionum vigor decrementum fubiit, magnam mucofitatem in fanguine remanere notiffima res eft, quæ fi alvum leniter apertam fervantibus non educatur, fimiliter cachexiam & varios tumores profeminant, ut tormina ventris cum lumbricis fubfequantur, cujus generis exempla præter alios apud *citatum Hagend. Cent. 1. hift. 67. & feq. legi poffunt.*

Thef. VI.

Postquam præcipuas caufas malo corporis habitui ingenerando faventes enarravimus, fequitur, ut quæ graviffimo huic affectui accidunt, paucis itidem perfpiciamus. Excipiunt vero fecundum effectuum feriem
fe

seita, ut (1.) ex defectu energiae motus in sanguine, qui suas depurationes non obtinet, relaxatio toni partium solidarum proficiscatur, (2.) relaxatis membris, habitus corporis mollis, tumidus, foedus, lividus pallidusque & decolor reddatur, & stagnationes humorum confirmatiores eveniant, cum sanguis ob languescentem motum in minima vascula penetrare, & habitum florido, vivido colore tingere nequeat, (3.) stagnantibus humoribus iisque per minores canales venolos non progredientibus, feri secessiones exsurgant, & hinc varii tumores oedematosi pedum & tubercula pronascentur. (4.) cum motu fatisciente humorum crasis quoque invertatur, & sic bilis, quae sanguinis nostri balsamum merito audit, non minus iners reddatur, utpote sanguis per hepar non rite procedit & circulatur, in contracto huiusmodi mucidiore statu verminosa progenies iniduletur. (5.) Ex lenta & vappida humorum conditione & putida vermium genesi nausea, appetitus ciborum imminutio, aut si qui assumantur, vitiata concoctio, vomiturius, tum etiam ex tunicæ nerveæ intestinorum vellicatione, rosione, anxietates, tormina, spasticæ tractiones & tensiones oriantur; (6.) Has ipsas vibrationes motuum actuales vermium ejectiones insequantur; (7.) omnibus ita ingravescentibus corporis mira extenuatio & infirmitas coincidat, (8.) & ultimo confirmato humorum vitio & confirmata viscerum, epatis præf. & lienis obstructione, sanguis spasmis invalescentibus vehementer commotus in alia vasa irruat ejusque profusio certissimus funesti eventus prodromus proveniat. Hic genius, hæc Cachexiæ

facies, quæ nobis *admiranda*, ut nonnulli volunt, *vermum mysteria* pandet.

Thef. VII.

Corpus humanum post fata putredinosa dissolutione in vermes abire, & vermibus in eam cedere, vulgo creditur, sed quod majus est, vivum adhuc præ aliis animantibus vermibus obnoxium reddi, experientia sic satis testatur. Quorum ortum paucis jam tacturi, illum utique petimus & deducimus ab ovo, quod seminis vicem gerit, imo quod semen in plantis, illud ovum in animalibus præstat. Animantium siquidem generatio continuatur virtute seminis ipsis insiti, quo Deus T. O. rerum creator ut regna naturæ universim, ita & hæc instruxit, ut in ovo & semine ceu compendio tota futuri animalis facies & idea subtilissime extet delineata, quæ ovo ad maturitatem perducto sensim explicatur, & perfecta partium textura & configuratione oculis nostris tandem sistitur. Hinc colligere possumus, quid sentiendum sit de distinctione illa in animalia perfecta & imperfecta, & num æquivoca & spontanea generatio locum habeat, cum si ordinem & ortum eorum spectemus, unum deprehendamus commune viventium principium, (ut ut quoad ipsum fœcundationis actum perfecta & minus perfecta dici queant,) & simile nonnisi producat simile, quod optime deduxit solertissimus naturæ interpres *Redi in prælaudato Tract. de Gener. Insect.* Passim equidem inter veteres Autores prostant, qui fingere non dubitarunt, insecta originem suam debere variis rebus putredini & corruptioni subjacentibus; prout *Antigonus, Plinius, Plutarchus* &c. vespas ex carnibus equinis; alii vero ex mortuo & putrefacto crocodilo;

dilo; *Fortunius Licetus*, *Joh. Baptista Porta*, *Moufetus*, scorpiones ex cancris marinis sub terra sepultis; *Diodorus Siculus* ranas ex viscoso limo absque ovis, quod in Ægypto evenire dicit; *Plinius*, *Ælianus*, *Fortunius Licetus* serpentes ex medulla spinali, & qui non alii sexcenta alia asseruerunt, sed non evicerunt. Illud autem lubenter concedimus, certam putridæ carnis speciem certæ magis arridere insectorum speciei & sua peculiaria fovere insecta, quæ inibi innidulentur & ova sua deponant, ex quibus ceu ex orco postmodum magna crabronum & insectorum copia prodeat. Spontaneam itaque vermium emersionem ex sola putrida & putida materia ideo prorsus negamus, cum forma seu virtus seminalis necessario concurrere debeat. Elaboratur enim ovum in ipso naturæ arvo ceu utero, quod vitaliter actuatam, debito calore fotum & nutrimento sufficienti instructum, naturalem figuram, texturam & proportionem partium paulatim repræsentat, & speciem, cujus ovum fuerat, demonstrat. Quam sententiam ipsa comprobat experientia, ubi si abarceantur insecta a contactu carnum, nulla unquam comparebunt animalcula ex his proditura; nec alienum est a ratione, quoniam in omni reliquo viventium genere ovum generationis principium existit. In qua tanto magis adhuc confirmamur, modo perpendamus, Deum certo ordine ea quæ in terris crescere & vivere videmus, ita creasse & absolvisse, ut quælibet species suo semine gauderet, sui que conservationem ex potentissimo Creatoris verbo, *crescite & multiplicamini*, eo ipso & suis viribus obtineret, ut adeo non instar fungorum confuse & fortuito ex accidentario variarum atomorum concursu pronascentur. Num vero semi-

na & ovula hæc per aera volitent, quod Philosophorum nonnulli voluerunt, id nobis persuadere non possumus ex eo, quoniam unumquodque semen & ovum suum intra se tenet, deinde quod ova, non aliter ac illa quæ incubatione gallinæ excluduntur, immanentem magis ætatum & placidum calorem requirant.

Th. VIII.

Cum itaque ut omnium insectorum sic & vermium ortus ab ovo sit necesse est, vermes in corpore humano vivo generatos ejusdem esse conditionis ac notæ, qui quomodo aptum in eo fomentum inveniant, dispiciendum erit. Ex superius jam dictis constabit, quod ut vermes in corpore generentur, peculiaris quædam humorum requiratur aptitudo; siquidem generale axioma fert, *in omni generatione convenientem supponi materiæ dispositionem, cum forma non introducat in materiam indispositam.* Quare ad verminosum seminium illi maxime suscipiendum inclinant, qui motu potius intestino quam progressivo auctiori, vita sedentaria tono intestinorum remisso, flacciditate & mollitie partium, ventriculo imbecilliori, humoribus impuris, viscidis, mucosis eminent, quibus præsentibus ova commode excluduntur & vermes protruduntur, ut deprehendimus in infantibus, sexu sequiori, personis cachecticis, quæ mucescentiam putredinosam sibi contraxerunt. Contra vero facilis est ratio, cur non omnis ætatis homines, sed paucissimi vermibus corripiantur; quousque enim motus progressivus & circularis est vegetus, humores satis tenues & fluxiles, calor vividus, tonus & motus intestinorum peristalticus salvus est, ut secretiones & excretiones legitime decurrant, tamdiu homo a verminosa proge-

genie immunis existit, ut adeo nimis a veritatis via deflectant, qui omnem morbum a vermibus derivant, & quid mirum, quando ipsum hominem ex verme progigni audacter statuunt. Hi jam vermes putredine vivunt, quatenus hæc vices obit instrumenti, in qua formatio insectorum eveniat, minime vero, quod ex ea vermes in corpore humano proveniant, ut nonnulli incongrue concludere volunt ex dicto *Hiobi cap. 17.* Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermibus: calor vero ex intestino putredinoso motu fermentativo prorumpens vermes exclusos blande fovet & sustendat, ut hi impune intestina humana laceffant & atrocia pathemata causentur.

Thef. IX.

Quomodo autem ova corpori humano inferantur, ut vermes inde nascantur, facile concipi potest, dum muscæ & quæ alia hujus generis insecta dulcia appprime appetunt, qualia sunt lacticia, mellita, pultes, quibus pro genio suo indulgent & ova sua imponunt, quæ una cum lacte assumpta & deglutita in corpore humano verminosam profapiam relinquunt. Et hæc est ratio, quare Hollandi præ aliis nationibus vermibus laborent, cum illi lacte quantopere delectentur. Ne vero ullum dubium supersit, quasi lac in ventriculo infantum præcipue corruptum vermes istos producat, lucem affundit observatio *Redi*, quando infantes, si solo lacte nutricis nutriuntur, affectum verminosum non incurrunt, eo quod lac immediate ab infante fugitur, quod insecta ovis suis inquinare nequeunt; deinde etiam recens nati, utut lac seu chylum in intestinis & primis viis corruptum & acrem gerant, non tamen æque lumbricos egerunt.

Thef.

Th. X.

Vermium ita formatorum locum natalem quod attinet, illos non ventriculum & intestina saltem, sed & omnes fere corporis partes occupare Practici norunt, in quibus peruestigandis modo non versabimur, cum passim apud Autores hac de re notata prostant; communiter tamen & frequentius intestina sedem & focus illorum constituunt, qui si longius processerint, gravius arguit malum. Numerantur vero intestinorum vermium jam ab antiquioribus ordinarie tres species, teretes, ascarides, tæniæ ab aliis etiam cucurbitini dicti, qui figura & longitudine ab invicem discernuntur, ubi teretes oblongo-rotundi; ascarides rotundi quidem at breves, tæniæ vero planitie quadam & latitudine conspicui sunt. Qui vero locus & pars intestinorum proprie cuius specie assignanda sit, & num teretes in tenuibus magis resideant, ascarides in recto, lati denique lumbrici in pyloro ventriculi, determinari æque facile nequit, probabile interim, tenuiora ipsis commodiora existere præ crassis, propter chyli præsentiam, imo in specie ipsum ventriculum ne forte bilis acrimonia, quæ tamen ut plurimum, ubi vermes adsunt, fatiscit & hebescit, ipsis adversetur.

Th. XI.

Ut vermes sint hominibus infesti, nec tamen soli habendi, cum & alia animalia πολύμορφα fundi eorum calamitas accedant, quorum exempla diligentissimi Observatores scriptis suis mandarunt. Pauca saltem ut adducamus, *Salmuth. cent. 1. observ. 62.* mentionem facit avis cujusdam simul cum bene nato foetu nascentis: Molæ volatilis effigiem avem quadrupedem referentem exhibet *Thom. Barthol. Act. Medic. philos. tom. 1. cap. 26.* de eadem vid.

vid. etiam *Observ. medic. phys. Germ. Decur. 1. ann. 2. observ. 160.* ut & *ann. 3. observ. 129. Matthæus de Grado Comment. suis in Rhafin cap. de mola*, de animali alato a muliere producto, quodque illico post nativitatem volaret, testatur. *Rhodius refert observ. 66. cent. III. ex. Marcell. Donat. histor. l. 4. cap. 26.* vermem monstrum diuturni morbi & mortis causam, quod nimirum cuidam viro nec obeso post varios dolores & maciem extincto vermis ab eo secessit multiceps, cauda longa, cornu gemino cancro similis, flavo & nigri coloris, palmi longitudine deprehensus. *Paræus l. 19. Chir. c. 3. ex Levino Lemnio* adducit monstrum quoddam ab humano utero exclusum, rostro adunco, longo teretique collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata eximiaque pedum agilitate, quod egressum ex utero totum domicilium fremitu sibiloque replevit & latebras quæsivit, donec a præsentibus mulierculis suffocaretur. *Idem ex Fouberto* memorat duas mulieres Italas eodem mense monstruosos partus exclusisse, quorum alter murem crassiolem cauta carentem, alter formam & crassitiem felis repræsentaverit. Memorabile quoque occurrit exemplum in *sylloge Casuum incantationi vulgo adscribi solitorum Mercklini casu 1.* de duodecenni puero, qui varii generis cum viva animalia no. 250. tum varias inanimatas non solum naturales sed etiam factitias insolentiores res no. 26. successivis vomitibus rejecit, sub quo tamen casu præter causas naturales alias adhuc supernaturales & diaboli lusum forsan delituisse non possumus non in animum nostrum inducere. Tacemus serpentes, ranas, laceratas, bufones, quæ foeminae interdum enixæ fuerunt interdum per os evomuerunt, tacemus quoque anguillas, mille-

pedes, scarabæos, erucas, imo & scorpiones, de quibus ipsimet Autores consulantur, ut *Sebenckius*, *Riverius*, *Zac. Lusitanus*, *Marcellus Donatus*, *Ulysses Aldrovandus*, *Paræus* & qui *Miscellaneis Nat. Curios.* studium ac operam impendunt, ne in retot exemplis corroborata inutiliter prolixi simus.

Th. XII.

Jam si horum multiformium animalium corpori humano inexistantium ortum evolvere placet, illa partim in ipsis ovorum staminibus adhuc latentia, partim jam dum formata illi irrepsisse vel ingesta fuisse firmiter persuasi sumus. Si enim ratio naturalis danda est horum phaenomenorum, non aliam suggerit nostra ratio experientia a posteriori quoque munita, naturæ vim nullam inferens, quam quod illa ipsa ex sui seminio producantur, nec possumus assentiri illis, qui transmutationem vermium in aliam formam admittunt, quasi nimirum vermes mora temporis diuturna scorpionis, lacertæ vel alterius cujusdam animalis figuram capiant, uti Autor cujusdam tractatus de *generatione vermium in corpore humano* ante annum editi opinatur, lingua sua sequentem in modum sententiam suam exprimens: Ces fortes de vers monstrueux (loquitur enim de diversis formis vermium) se divisent en dix classes; savoir les grenouilles, les lézards, les serpens, les anguilles, les vers a queue fourchue, ceux a cent pieds, les escarbots, les chenilles, & les scorpions. Non que ces vers soient effectivement des scorpions, des grenouilles &c. mais c'est qu'ils ont une apparence, qui les fait ressembler a ces animaux. Or toutes ces figures

res leur arrivent quand ils vieillissent. Quam suam opinionem ut stabiliat, argumenta a simili petit, ut verba insequentia ferunt, sicut enim barba certa ætate viro prorumpit & cornua nonnisi aliquo a nativitate tempore emicant, formicæ cum tempore alatæ evadunt, & bombyx quamplurimas in vulgus notas metamorphoses subit, ita & hi vermes successu temporis omnes has extraordinarias formas recipiunt. At vero primum nunquam probabit, quod unum ovum fuerit, quod tam diversos diverso tempore exhibendo verminosos foetus diversas induerit formas; deinde Observatores non tam vermium, scorpiones vel ranas mentientium, quam scorpionum & ranarum simpliciter mentionem faciunt; porro omnes illi vermes, quos corpus humanum fovet, cum sint adventitii, sistunt insectum illud, a quo ovula fuerant emissa. Præterquam enim quod impossibile est definire tempus, quo has vel illas formas referant, durum est credere, quod unum ovum tam diversas figuras repræsentare possit, cum ovum ex scorpione desumptum nunquam degeneraverit in gallinam, & quod allatum exemplum de bombyce, quod unum stringere videtur, attinet, illud in genere applicari nequit, nisi in infinitum fingendi licentiam nobis sumere velimus. Ut adeo omnia illa, quæcunque corpori humano p. n. ingenerata fuerint insecta & animalia, ex specifico & peripheria activitatis circumscripto seminio oriantur. Id tamen, quod vel maxime ad nostri casus dilucidationem faciet, omnimodo præeunte experientia largimur, monstrosa illa schemata, quæ hujusmodi producta & foetus non ita raro consequuntur, provenire

nire ex materiæ, qua sustentantur, ad hæc vel illa animalia sic deturpata dissimilitudine, ut a naturali non nihil deflectant figuratione.

Th. XIII.

Quibus sic in genere circa genesin lumbricorum & insectorum in corpore humano & causas deformitatis strictim quoad potuit prælibatis & observationibus quibusdam autorum præmissis, ad ipsam nostram pulli gallinacei devenimus historiam, cujus rationes naturales & fiendi modum tradere, & dicta ad hanc applicare præsens fert institutum. Ut autem analysis hujus casus recte procedat, primum respiciemus ad ipsam personam, quo affectu fuerit afflicta, deinde affectus hujus effectus declaraturi, quo loco, cujus gratia præsens fit disquisitio, potissimum hic foetus ratione sui ortus in conspectum veniet, ultimo difficultates, quæ abortiri circa hoc phænomenon possunt, soluturi.

Thes. XIV.

Quantum itaque ad primum, Cachecticam nostram foeminam dicimus, quod mox suis signis innotescet. Est cachexia morbus admodum chronicus, & si radices egerit, curationi refractarius & sexui præsertim foemineo familiaris, qui cum sub malo corporis habitu indigitetur, brevibus adhuc motus & crasis humorum in considerationem veniunt, qualis sit in statu naturali, ut eo melius ad præternaturalem transeamus. Jam vero sat abunde clarum est illum bono gaudere corporis habitu, qui sufficientes habet vires motrices, requisitum calorem, sanguinem floridum κατ' ἐξοχήν sumtum, laudabilem concoctionem seu chyli extractionem & robur partium, bilem satis activam, quibuscum actionum vitalium, secre-

tio-

tionum & excretionum energia conspirat. Quæ si ad-
funt quæcunque insinuata fuerint corpori humano ver-
minosa semina, in eo fixam sedem stabilire non poterunt,
sed potius a prævalente congrua humorum tempe-
rie disjicientur, invertentur, verbo, evertentur.
Principium enim activum sanguinis, quod sul-
phur formaliter habetur, inducias non concedit
heterogeneo cuidam principio, quod ex sua virtu-
te materiam suam evolvere & explicare possit. Hinc
etiam sanitas optime conficitur recrementorum
tempeſtiva expulſione, ne ſalino-acris, vel mucido-vi-
ſcida intemperies humoribus introducatur. Ideo ta-
men non ſola materia notanda erit, ſed motus ſimul a
natura inſtituti & qui præternaturales videntur, exami-
nandi, utpote hi nulla materiæ inhærente labe excedere
ſolent, commonſtrantibus id exquiſite animi pathema-
tibus, quibus in morbis cum producentis tum proſcri-
bendis divina ineſt virtus. Quamdiu itaque conveni-
ens inter utrumque, quod corpus humanum ut vivum
format & ſervat, perdurat harmonia, tamdiu homo re-
cte valere dicitur. Secus autem ſe res habet cum pra-
vo corporis habitu, qui ex muceſcentia humorum
emergeſcit. Peccant autem humores vel quantitate vel
qualitate, ex qua ſit motus vitioſus & perversus. Quan-
titas & moles, quæ pariter τὸ quale vitioſum pediſſe-
quum habet, accitur variis de cauſis, vel debito regimine
in rebus p. n. neglecto, vel evacuationibus ſolennibus
ſubſiſtentibus. Hæc maxime præponderat in foemi-
nis, quæ ex naturæ ordine ſanguinis excretionibus ſta-
tariis expoſitæ ſunt. Fruſtrantur hæ ſucceſſu, ac-
cedente vita otioſa, ſegni, victu craſſo, potu parco &

paucis. Sub his actiones vitales magis magisque languescunt, animi indoles evadit tenebricosa, taciturna, terror & mœror subinde obveniunt, sanguis & humores per colatoria sua minus vegete transprimuntur, hinc nec sufficienter attenuantur, subtilisunt, mucidæ, recrementitiæ partes colliguntur, bilis retunditur & fit iners, corpus male nutritur, ciborum concoctione vitata & calore vivido deficiente, & faciei color livescit, qui primus cachexiæ gradus est & leucophlegmatia audit. Quod si vero vasa venosa minora sensim infarciantur, redditur tum corpus molle, laxum, flaccidum, tumidum, vigore & robore partium sublato, quinimo stasibus confirmatis, fiunt seri secessiones, tumores, & primo quidem œdematosi pedum, scirrhi, maxime epatis & lienis, quæ viscera primario in hoc affectu insignem labem incurrunt, quæ omnia cachexiam obfirmatam designant. Deinde quoque non raro cruditates ex cibis a peptis & incongruis ita accumuluntur, ut ovula cum illis deglutita in intestinorum canali lumbricos edant, quod suo jam tempore novit *Columella dicens l. VI. Cap. XXV.* lumbrici fere nascuntur cruditatibus; qui primo nauseas, deinde & vomitiones ægrotis creant, saliva ad os usque affluente, morficationibus intestina vellicant, hinc anxietates præcordiales, cardialgiæ, tensiones & torsiones gravissimæ ad syncopen & sudores frigidos usque, & cum lumbrici serum ægrotantis consumant, ut vermibus affecti vehementer sitiunt, fit ut habitus corporis collabatur & tabescat, solo abdomine quandoque intumescente, quod fit, si intestina atrocius sollicitentur & convellantur. Sin cruditates in primis viis minus abundant, & tamen tumores in-

gra-

graveſcant, tum demum ultimum quaſi complementum cachexiæ aſcites imponit.

Th. XV.

Deſcripto ſic cachexiæ genio, opus eſt, ut modo dicta & deducta ad noſtram ſceminam applicemus, eamque notato morbo laboraſſe eoque ſublatam fuiſſe evictum demus. Ex hitoriæ itaque circumſtantiis morbum dijudicaturi, deprehendimus, illam mox a puerperio in diverſis locis, ut manibus & pedibus dura quædam tubera ſubiſſe, quorum originem, ubi humores per lochiorum fluxum ſine dubio non ſatis fuerunt depurati, non aliunde niſi ex maſſæ ſanguineæ adaucta impuritate & viſciditate & ſeri ſecefſione atque ſtaſi facta derivamus. Deinde quidem morbi facies obvelata manſit, dum tubercula iſta variis topicis adhibitis diſparuerunt, ad malifons & origo non fuit exciſa, ita ut, quanquam poſt iteratum puerperium tolerabiliter ſe habere viſa fuerit, non multo poſt lactis eſum larvam ſuam deponeret & tanto gravius ingrueret. Præſentiſſime autem pejus exinde habuit ægra, quoniam lacticinia illis, qui viſcera ſana non habent, & ubi humores mucoſitatem contraxerunt, minime ſalubria exiſtunt, dum viſciditatem augendo & inſarctui viſcerum litando, aptum generationi vermium nutrimentum & locum præbent & hac ratione affectum exaſperant. Et quoniam ex obſervatione accuratiſſimi naturæ indagatoris *Fr. Redi* infantes rariſſime ante laticiniorum uſum vermibus divexantur, excepto ſolo lacte nutricis, quod illa aëri externo expoſita ovis externe advenientibus acceſſum concedant, utique accidere potuit, ut noſtra mulier, ſtatim atque lac ovis inſectorum imprægnatum hauſerat, conſectaria illa, quæ
ver-

vermibus vulgo tribui solent, experiretur, qualia sunt tormina, lancinationes, nausæ, vomitiones & spastici motus. Porro ipsi vermes ceu luculentissimum cachexiæ accessorium satis testantur de causa, quando & hi ut forex se ipsos in nostra fœmina prodiderunt. Ipse denique morbi exitus & funesta catastrophe cachexiam obfignat, eo quod morti proxima sanguinem copiosum ex faucibus ejecerit, ex quo viribus notabiliter fractis & motibus vitalibus in langvorem versis ultimum rerum discrimen expectandum aut metuendum haberet.

Thef. XVI.

Nunc demum ad nostrum fœtum devenientes, rem ita prosequemur, ut ejus ortum, speciem, deformationem & exitum contemplemur. Quare prima hujus curiosi fœtus stamina retexuri, (qui licet in se Medico scopo alienus videatur, attamen cum in corpore humano generatus fuerit, & omne, quod p. n. illi accidit, Medico disquirendum veniat, nec hic ipse nostra disquisitione Medica indignus habendus erat) semen seu ovulum omnium animantium primordium merito agnoscimus, quod per externam quandam fluidam substantiam ad intrinsecam motionem & fermentationem quasi deducitur. Una quæque equidem guttula sanguinis secundum mentem *Excell. D. Præsidis* ideam & notam characteristicam totius animalis refert, non aliter ac semen plantæ & exiguus ramusculus characterem & signaturam specificam ipsius plantæ & arboris, ex quibus fuerant desumpta, impressam tenent, nullum tamen unquam ex sanguine vel tenuissima fluida substantia producet animal, nisi vis hæc seminalis involucris & membranis circumcirca muniatur & includatur,

datur, quod convolutum nobis exhibet talismo-
 di corpusculum sphæricum, ovulum dictum. Ovum
 autem ad principium generationis animantis ideo requi-
 rebatur, quod vita & ad ipsam pertinentes functiones, nu-
 tritio, explicatio & diductio partium absolvantur solo
 motu pericyclico, hic vero in ullo liquido in se peragi ne-
 queat, nisi illud contineatur & suis sphæculis circumscri-
 batur. Quamvis sic ovulum omnium viventium ru-
 dimentum gratis concedatur, insignis tamen adhuc in i-
 pso fœcundationis actu residere deprehenditur diversitas
 De animalibus perfectis nota res est, quod ovula semine
 masculi reddantur actuosa, vel aura seminali irradiantur,
 dum hoc ipsum ceu delibatissima & subtilissima portio
 sanguinis motum æthereum, circula rem ovulo imprimit
 & effectum illum, quem fœcundationem nominamus,
 producit. Cum insectorum autem ovulis aliter compara-
 tum est, quæ grata humiditate & pluvia & temperato ca-
 lore fœcundata excitantur. Hinc ortum judicamus il-
 lum errorem, quod, prout historiæ loquuntur, ranis, ci-
 cadis, imo muribus pluuisse vulgo credant, quod tamen i-
 ta potius accipiendum est, pluviam nimirum admodum
 fœcundam derepente insectorum & animalium hujus-
 modi semina exclusisse, & hac ratione insecta magna in-
 copia se propagasse. In qua sententia tanto magis con-
 firmamur, dum in urbibus talia insecta, quæ ruri & in
 campis gregatim degunt, non advertuntur, quod tamen
 æque deberet evenire, si ex pluvia ceu ex Jovis sinu pro-
 lapsa fuissent. Quandoquidem ergo firma manet genera-
 tio ex ovo, quam tot argumenta evincunt, & hodierni Phi-
 losophi ac Medici unanimi consensu recipiunt, itidem
 certum est, hoc ipsum nostrum animalculum, quod ab

ægra per alvum secessit, ex ovulo quodam petere suum
ortum, suum fundamentum.

Th. XVII.

Speciem ovuli nunc determinaturi, partim ex ipsa
fœtus nostri externa figura, partim ex analogia aliorum
animalium ipsam deducemus. Ex vermium genere fœ-
tum hunc esse minime sentimus, quod is perfecti anima-
lis formam exhibeat, & pedibus carnosus, longo collo &
capite conspicuus sit; vermes enim nonnisi mucidiori
& laxiori corporis compage, carneis fibris non inter-
texta gaudent, quod ex multis nodulis & juncturis est
conflatum. Quare propius intuentes figuram, perfe-
ctiorum animantium, & quidem volucrum generi ad-
scribimus, quoniam pedes illud ipsum demonstrant, quin
imo si reliqua vestigia legimus, pullum gallinaceum in-
genue habemus. Primum siquidem crista capiti super-
eminens, deinde magnitudo & proportio partium inter
se invicem, & tertio demum in specie collum, pectus &
pedes conjunctim sumpta gallinæ partim esse persuadent.
Qui quomodo corpori humano ingenerari potuerit, de
eo merito quæstio movetur, quod ut expediamus, nostra
sententia hæc est. Inter alias morbi historię circumstan-
tias hæc quam maximi momenti habetur, quod ægra no-
stra quodam die lac ceperit, ex qua non incongrue suspi-
cari nobis videmur, numne ægra ovum quoddam galli-
naceum cum lacte, (qui ovum lacti communicatum fue-
rit, non adeo inquirimus,) simul deglutiverit, quod affir-
mare non dubitamus, quando consideramus fieri potuis-
se, quod ægra exiguum, nondum partum, incoctum ovum
in scia acceperit & ingurgitaverit, qualia ex gallinis & avi-
bus depromimus exenteratis. Hoc itaque ovum per
æso-

œsophagum ad intestinorum ductum detrusum in eo commodum nactum est spatium se dilatandi, ubi non tam in ipso ventriculo, (quoniam ægræ propinata medicamenta proventum & genituram hujus animalis potius invertendo destruxissent,) quam circa initium intestinorum crassorum & quidem valvulæ conniventi coli adhæserit, quo in loco pullus excludi, sensim incrementum & signatam molem, utut non sine insigni fœminæ ægritudine, acquirere valuit. Hunc igitur pullum intra corpus fuisse generatum fide digna facti docet historia, ejus ortum ab ovo esse docet naturæ ordo, ovum ab extra fuisse illatum docet pariter rei natura, cui ratio suffragatur, ovum gallinæ fuisse comprobant adducta argumenta, sed qua ratione insinuatum fuerit, nostram diximus sententiam, pro qua si quis in re sic comparata aliam & meliorem substituere noverit, vel gratissimum nobis erit, interim nostra erat statuminanda.

Thel. XVIII.

Ad ipsam nunc accedentes deformationem, hujus rationes physicas proponemus, quo difficultates circa monstroli hujus pulli formationem removeamus suborientes. Primam & præcipuam mox suggerit ejus nuditas, quando implumis excretus fuit, alteram capitis distorta facies, cui insuper posterioris partis mira structura & tandem alterius pedis depravatio velificantur. Quod ejusmodi pulli in corpore humano excludi & implumes nasci possint, nullibi tale quid observatum legitur, præter unum exemplum, quod in *Miscell. Nat. Curios. Dec. II. Ann. V. in appendice Observ. 54. p. 34.* extat, ubi similem fere casum Auctor DD. Paulini consignavit, quando refert se vidisse, quod fannio cujusdam Principis,

qui recens, incoctum, testa inclusum ovum deglutiverat, & intercurrente spatio aliquot septimanarum immanes dolores in abdomine perpeffus fuerat, tandem ab usu infusi nicotianæ vehementer vomuerit, & sub finem vomitus pullum mortuum & quidem NB. absque plumis rejecerit. Quæ unica observatio nostræ huic lucem fœnerans satis evincit, quod ejus generis deformationes utique evenire possint. Quanta enim non inest virtus aëri, nutrimento, loco natali in perturbanda naturali animalis idea, sive ut cum veteribus loquar, facultate formatrice. Consideremus modo plantas & arbores ex calidioribus regionibus ad septentrionales plagas advectas & in his plantatas, quæ non visitur illarum distortio, quæ non diversitas ratione fibrarum magis minnsve compactarum & solidarum? quantum non distant fructus ab invicem? Sane dum succus alienus cum genitali non coincidit, vis plastica & nutritionis actus declinant, pori aliter configurantur, uno verbo, ascititia temperies naturali non respondet. Annon etiam tale quid in nostro phænomeno notandum venit? non videmus disparitatem. Nam hoc quidem certum est, quamvis animalium speciem peculiarem suam habere succum, proprium characterem & singulari eminere corporis textura. Jam si animal quodpiam in corpore humano formetur, necessario ob succi nutritii & arvi sui diversitatem aliam assumet conformationem, aliam partium texturam, ut hinc minime mirum videri debeat, pullum nostrum non solum plumis fuisse privatum, sed & capite deformi & enormi donatum. Quod ut ulterius confirmemus, unde quæso sæpius in infantibus, imo & adultis vermes decem & plures ulnas longi oriuntur? Ex seminio provenisse notum est, at unde hæc ipsi longitudo? non enim a vermibus, sed a muscis suam originem trahunt. A materia externa
hoc

hoc proficisci quid non statuamus, cum hæc omnimodo magnum ingressum habeat, qua ut dispari ovum pariter in formatione turbetur, & evolutus foetus ob immutatam nutritionem structuram longe aliam induat, quale quid in papilionibus advertere licet, qui prout de hac vel illa planta delibant, peculiarem quoque papilionum speciem gignunt; evidens siquidem est, quod ex ovulis, quando eruca moritur, papiliones surgant ceu alia insectorum species, ut adeo magna metamorphosis ex hisce eluce-
 scat. Cum ergo nostra Cachectica vermibus obnoxia humores viscidos, muscosos foverit, pullus nonnisi squalidus, laxus, torosus & luxurians prognatus fuit. Porri etenim redditi fuere laxiores & magis patuli, majorem humiditatis imbibendo quantitatem, qua dum pullus fere difflebat, partes huc & illuc sic spongiosiores redditæ in deformem abibant texturam, quod comprobabat caro luxurians in vulneribus & ulceribus, ubi fibræ carneæ propter copiosum affluxum & stasim seroso-lymphatici laticis, tono in parte affecta relaxato, inæquales & tortuosæ fiunt. Quando itaque pulli nostri fibræ ex stagnantibus mucositatibus in primis viis diducebantur, plumæ non commode exsurgere potuerunt, quod phænomenon nos de ratione certos facit, quare homines macilenti præ pingvibus & obesis pilis abundant. Quantum vero primum ad caput, illud equino accedere videtur, utut crista clarius arguat, cujus habendum sit; cujus deformitatis ratio hæc est, quod ex mora temporis, quo in intestinis permansit, insignem squalorem & fibrarum, imo & lamellarum ossæarum molliem ac deletionem contraxerit; uti ipsa historia memorat, ne ossiculum quidem in eo potuisse deprehendi. Hac enim ratione caput emollitum bene ex accidenti hujus vel illius animalis caput referre, & quid monstriosi alere dici potuit.

Alarum, an eas habuerit, nulla quidem in nostra historia mentio occurrit, at non æque illis destitutum fuisse negaverimus, quas (uti & oris aperturam) accurate dignoscere prohibuit forte squalida massæ facies. Nam hoc quidem valet materia externa, ut partibus & membris series fibrarum distorquendo pravitatem inducat, sed non ut partes essentielles corporis tollat, quarum prima stamina in ipso jamdum ovo texta aderant. Posteriore, quæ sequitur, parte singularis caudæ in longum diductio advertitur lacertæ figuram mentiens, quæ pariter irregularitati & extensioni fibrarum a mucescentia tribuenda venit, & quoniam ordinarie posterior pars crassior in volucribus, ita & gallinis, comparet, illa forte compressione quadam in longum magis extensa fuit, & nullum est dubium, quin ipse hujus pulli in intestino situs multum ad monstruosam conformationem fecerit, & prout una pars præ altera gurgite quasi muciditatum magis minusve obruta fuerit; quæ consideratio ultimam quoque nobis eximet difficultatem, quare alter pes ab analogia alterius discesserit. Ut adeo nutrimenti pravitas, loci genius & situs ratio omne punctum in deturpitatione hujus pulli ferant.

Th. XIX. Adductis deformitatis rationibus, superest, ut pulli hujus secessum morbi que successum & tristem eventum subjungamus, & eo ipso historiam nostram ad umbilicum perducamus. Quod sanguis & serum, si nec libere moveantur, nec recrementa debite removeantur, copiosas mucidas partes admittant, & organa secretoria & excretoria seu colatoria illis pedetentim repleantur, ut obstructions propullulent, ex superius dictis innotescere arbitramur. Quid autem aliud, si organa ad motum inepta redduntur, mechanica ratione consequitur, quam ut putredinosus intestinalis motus invalescat, & sic proxima

ma ad mortem via pandatur. Invalescente enim feri & sanguinis corruptione, ut vermes suum seminium late diffundunt, ita ex his ipsis illa quoque corruptio incrementum capit. Imprimis vero pullus gallinaceus, qui in ægræ, & sui ipsius destructionem ingenitus fuerat, non solum humores conspurcabat, ubi inconvenienti succo nutritio admotus mucorem & fracedinem concepit, sed & tonum naturalem intestinis atque visceribus adimebat. Qui enim squalor non prodit ex insectis putredinem infectantibus, ut foetor oris, nausea, appetitus languor & materiæ verminosæ ejectio illum innuunt. Remissio toni, qui initio quidem, ubi lumbrici tunicam intestinorum nerveam subinde laceflebant, eamque pullus nimium distendebat, satis spasticus evadebat, (unde illæ anxietates, dolores acerbissimi, lipothymia, vomitiones surgebant,) inevitabiliter sequebatur, quoniam motus provocati ad proprium & exprimendum foetum & vermes sibi molestos objecto non pares erant, cum quod humores non satis ad movendum apti essent, tum quod moles producti pulli ambitum intestinorum naturalem excederet, ut sic pullus in se innoxius noxam mortiferam ægræ nostræ inferret. Sed ut natura pulli erat impatiens, hunc motu peristaltico propressit, & tono subinde relaxato, vix tandem per ani sphincterem elisit. Super his omnibus vires consumptæ, stases humorum confirmatæ, quarum soboles erat collecta sanguinis portio ex faucibus emissæ, corruptio serosa ex vermibus ad ipsam putredinem jam proclivibus sensim adaucta, tunicaque intestinales esæ & flaccidæ relictæ, vitæ finem imposuerunt, in quo & præsens nostra naturalium disquisitionum particula subsistet, ubi illam ab ovo usque ad mala, quod ajunt, prosecuti sumus. Interim tibi B. L. integrum est ju-

judicare, qua felicitate vel infelicitate illud præstiterimus,
qui raras equidem cum *Th. Bartholino* viro πολυμαθές αὐτῶν
historias amplectimur, sed quibus probabilis favet ratio
eaque naturalis: Me vero ad æternum Naturæ præsidem
supplex recipio, ut, ex quo ceu centro egressus eram, ad
eundem rediens in eo acquiescam & concludam:

*Pectus ovans textis studiis Te laudo, precando,
Fac ovum Medicum fertile, Summe Deus!*

Effigies pulli gallinacei pro verme habiti:



*Cui gravis hospes eram, me deturpaverat arvum,
Huic mors, luce carens confero lucis opus.*